

minus habuisse videatur, quod Ablegati Civitatis Segniensis ad hunc esto diutius perdurantem Generalem Congressum non comparuerint; omnes hos in Antiquissimorum Civitatis Segniensis Jurium et Privilegiorum Laesionem et Convulsionem tendentes Jurisdictionis Militaris Ausus Suae Majestati Sacratissimae humillime remonstrandos, et pro ponendo contra hos efficaci remedio Status et Ordines Suam Majestatem Sacratissimam in humilitate exorandam concluderunt, ut fatam Civitatem ad effectum Articuli 11. 1802. et in hoc provocatorum Articulorum in usum Jurium et Privilegiorum suorum reponere, ac in tali clementer conservare dignaretur. In horum nexu data est Domino Regni Protonotario incumbentia, ut Acta Congregationis hujus, in quantum Civitatem quoque Segniensem concernerent, eidem sub Authentico transmitantur.

### Articulus Decimus Septimus.

*De Publicatis infrascriptis super Collatione Baronatus Benigno Dipplomate et Benignis Armalibus Litteris.*

Lectum et publicatum fuit Benignum Baronatus Dipploma pro Magnifico Francisco Jellachich de Buzin, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Generali Campi Mareschalli Locumtenente, Inclyti Ordinis Militaris Theresiani Equite, et unius Pedestris Legionis Hungaricae Proprietario, et filiis ejusdem Josepho, Georgio et Antonio, nec non filia Caecilia, ex Magnifica Anna Baronissa de Portner susceptis, Viennae Austriae 1. Julii 1808 emanatum

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

### 1825. MENSE AUGUSTO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, Anno 1825. 22. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Vigesimo Quinto, 22. et sequentibus Augusti diebus, in Libera Regiaque Civitate Zagrabienſi, ex Edicto, et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis Ignatii Gyulay de Maros-Németh et Nadaska, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, Eorundemque Regnorum Confiniorum Vunnanorum et Collapianorum Generalis Capitanei, Inclytorum Ordinum Leopoldini, Alexandri Nevsky Russici, Aquilae Rubrae Borussici, Maximiliani Josephi Bavarici Magnae Crucis Equitis, Militaris vero Maria-Theresiani Commendatoris, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Camerarii et Actualis Intimi Status ac ad Excelsum Consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum Consilarii, Generalis Rei Tormentariae et